



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 71. Laurentius Justinianus Patriarcha Aquilejensis a Papa creatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

in suo schismate obstinationis suppe-
ditavit argumentum.

Sæcul. XV.
A C. 1451.

§. LXXI.

*Laurentius Justinianus Patriarcha
Aquilejensis a Papa creatus.*

Nicolaus V. cum olim ad S. Georgii in
Alga, Insula altero a Venetorum
urbe lapide versus occasum distita, Cano-
nicus regularis esset, ibi familiarem sibi
habuit Laurentium Justinianum, qui
ex Illustrissima Justinianorum familia Ve-
netiis natus, eandem instituti rationem
profitebatur. Eugenius Viri meritis jam
antea permotus, reluctanter licet, Vene-
tiarum Episcopum renuntiabat, doctri-
na ac pietate magis, quam ipso hoc
dignitatis fastigio conspicuum. Tanta
autem veneratione ac honore præclari
hujus Viri merita prosecutus est Nicolaus,
ut sollicite eundem ad altiorem digni-
tatis gradum elevare quæreret, quo am-
plioribus magisque diffusis virtutis suæ
radiis illustraret Ecclesiam. Opportu-
nam ad hoc sibi offerri occasionem cre-
debat Pontifex ex obitu Dominici Mi-
chaelis Patriarchæ Gradensis; cui Aqui-
lejensis quoque Patriarchatus per Bullam
octavo die Octobris datam annexus e-
rat. Nicolaus igitur solo suffragio merito-
rum, quibus Laurentius Episcopus e-
mine-

Baillet. Vit.
Sanct.
V. Sept.

Sæcul. XV. minebat, Patriarchatum a Grado, ma-
 A. C. 1451. ritima Adriatici sinus Urbe hoc anno
 transtulit Venetias (*). Renuntiatur
 itaque Justinianus primus hujus Eccle-
 siæ Patriarcha, nec tamen novæ hujus
 dignitatis amplitudo, ad quam non mi-
 nus, quam olim ad Episcopatum invitus
 evehebatur, pauperem suam vivendi ra-
 tionem nullatenus immutare valuit, ut
 potius inde Episcopalem sollicitudinem
 suam magis exereret, ac clarioribus vir-
 tutum exemplis suo præluceret gregi, qui
 alias Pastorem suum adeo humilem, &
 ab omnibus sensuum illecebris alienum
 suspiciebat.

§. LXXII.

(*) Pagius in Brev. Hist. ad ann. 1449. Con-
 tinuatorem hic deceptum fuisse notat, S. Ju-
 stinianum non hoc anno, sed 1449. Patriarcha-
 tum obtinuisse probans; constat enim S. Lau-
 rentium, cum quinquagesimum primum ætatis
 suæ annum ageret, ab Eugenio anno 1431. E-
 piscopum Venetiarum creatum fuisse, anno au-
 tem Episcopatus sui decimo octavo, id est, salu-
 tis 1449. ætatis vero suæ 69. ad Patriarcha-
 tum evectum esse, quem per quinquennium dunta-
 xat gerens obiit ætatis suæ anno 74. proinde
 manifeste sequitur S. Laurentium, Patriarcha-
 tum non hoc anno, sed 1449, duodevigesimo E-
 piscopatus sui obtinuisse.